



B. M. II. 11.  
h. 29. 17.

1818.

DISSERTATIO IURIS PUBLICI  
DE  
FUNDAMENTO  
DECIDENDI CONTROVERSIAS  
DE  
PRÆCEDENTIA  
INTER  
LIBERAS GENTES,

*quam*  
ILLVSTRIS IURECONSULTORVM ORDINIS  
CONSENSV  
PRÆSIDE  
DN. CHRISTIANO GODOFREDO  
HOFFMANNO,

PROF. DE VERBOR. SIGNIFICAT. AC REGVLIS  
IURIS ORD.

*AD D. XVI. MAII MDCCXXI.*

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBIICIT  
*AVTOR ET RESPONDENS*


M. CAROLVS GVILIELM. GÆRTNER,  
DRESD.

---

LIPSIAE,  
LITTERIS SCHEDIANIS.

II k  
5112





CAPVT I.

GENERALES DE PRÆCEDENTIA  
OBSERVATIONES.

§. I.

**N**ULLæ in societate humana maiori cum contentione, imo aliquando vita & bonorum dispendio, moveri solet lites, quam quæ de externis quibusdam & non raro in nudâ opinione ac vanitate innixis honorum atque dignitatis signis in primis de priore ac nobiliore loco sive, ut voce minus latra uti liceat, de *Præcedentia* agitantur. Nihil enim mentem mortalium magis occœcat, quam proprius ille amor, qui plerumque in causa est, ut maximam de se ipsis concipient homines estimationem, (a) sibique injuriam fieri credant, quoties famam, dignitatem, honores aliorum suis ornamentiis, elogiis ac decoribus superiores esse vident. Hinc non solum illustres personas funesto sèpius exitu de eiusmodi negotiis inter se configere videmus, verum etiam homines infimæ imo abiectæ conditionis sibi invicem litem contestari deprehendimus, quoties alter suo honori id demi, quod alterius accedit, opinatur, (b) quibus tamen non male applicantur verba

A

MAR-

---

(a) HOBBES. *de Cive cap. I. §. 4.*

(b) Exempla adduxit B. Dn. HORNIUS *de iure prædria Dec. 2.*

MARTIALIS, *per medium pugnas & prior ire lutum.* Et quotidiana docet experientia, quam periculosi & perversi mores ex corrupto, de honore & existimatione conceptu, in rempublicam fuerint inventi, qui tanta cum rapiditate se propagarunt, ut vix durissimis legibus expelli sive suppressi potuerint. (c) Non novæ sunt de *Duellorum frequentia & levitate quarelæ, & graviores in rebus publicis bene ordinatis constitutiones, quæ tamen hactenus vix suffecerunt ad corrigendam inveteratam consuetudinem, quæ sane gravissimis laborat erroribus, inter quos non ultimo loco memorandum illud virulentum præiudicium: nullam legem, non patris amorem, non Principis salutem, non conservacionem vite, non acquisitionem bonorum, verbo, nihil præferendum esse affectato illi honoris studio.* Quæ est illorum Philosophia, qui novam prorsus disciplinam, legum humanarum atque divinarum plerumque ignaram, titulo *scientie cavalleristicae* fixerunt, cujus fundamenta atque principia ex recentioribus examinare sunt aggressi (d) SCIPIO MAFFEI, AUDIGIERIUS & BASNAGIUS.

### §. II.

Hæc quæ tantas in privatorum commercio turbas, disfidia, jurgia excitat dignitatis & honoris præsumptio, majoribus periculis & sanguinolentis disputationibus litigiosissimis involvit liberas republicas & earum Principes ac Reætores, quorum omnino esse videtur, ut civitatis maiestatem, existimationem atque dignitatem illæsam ac incorruptam conservent. Privatae lites autoritate publica facile dirimi possunt: eminent legislatoris summi voluntas, in cuius arbitrio positum est, quos existimationi subditorum velit statuere

re

(c) Acta in Comitiis præsentibus pro coercenda Duellorum frequentia v. apud HENNINGES in Medicat. ad Instrum. Pac.

(d) SCIPIO MAFFEI *della scienza chiamata a cavalleresca libri tre.* in Roma M D C C X, AUDIGIER de l' ancien & vrai usage des Duels. Paris M D C C XVII. Dissertation historique sur les Duels & les Ordres de Chevalerie par Mr. B. - - - a Amsterd. M D C C XX,

re terminos: a maiestate diversi dignitatum gradus reipublice membris assignantur. Præiverunt Romani atque Græci suo exemplo, apud quos Magistratus, & imperii Officiales eleganti ordine constituti, quorum dignitatem & honores cum legum Codices docent, tum doctissima scripta, & quidem inter antiqua: NOTITIA VTRAQUE DIGNITATVM CVM ORIENTIS TVM OCCIDENTIS a GVIDO PANCIROLLO, FRANCISCO RHVARDESIO & GVILIELMO MARANO illustrata, ex recentioribus autem prolixe repræsentat IACOBVS GVTHERIVS. Integer quoque in D. IUSTINIANI Codice occurrit titulus, ut dignitatum ordo servetur. Prudenter quieti privatæ consult Princeps definiendo characterem & dignitatem subditorum: prudentius, si in describendis honoribus atque prærogativis internarum qualitatum atque virtutum rationem habeat, quamvis praxis sèpius ab hoc definiendæ dignitatis & existimationis principio recedat. Interim nemo inficiabitur, Maiestati facultatem concedendi honorum insignia ac iura æque competere, atque ex ipsa tanquam fonte omnes in republica dignitates profluere, certum est: ut illis quoque calculum adicere non dubitemus, qui Collegia iuridica, de controversiis circa subditorum dignitatem motis respondere posse, asserunt. (e) Gravior multo atque magis ambigua est quæstio de liberæ reipublicæ dignitate: difficilius iudicium de genitis præ gente prærogativa, & quænam alteri loco cedere debeant, inferioremque occupare? Rem hanc nodo Gordio intricatiorem esse existimant non pauci. *ιδε πρόδος, ιδε πηδημα, ecce Rhodus, ecce saltus,* exclamat COCCEIVS. (f) In diversissimas abeunt Iureconsulti opiniones, alii affectibus abrepti, alii præjudiciis imbuti, hanc materiam examinare aggressi, scopulos non evitant, & quandoque res minime coherentes cumulant: alii usui atque consuetudini decidendas relinquunt has quæstiones & ex jure certam

A 2

ali-

(e) HORN. loc. cit. Dec. 2. n. 4. §. 3.

(f) COCCEIUS in *dissertat. de præcedentia.*

aliquam definitionem harum controversiarum dari posse  
desperant. (g)

§. III.

Equidem nostrum in præfenti esse non existimamus, ut in recensione Scriptorum, qui nobilissimam hanc materiam excutere laborarunt, prolixius simus cum illorum catalogum multa cum cura ab aliis (h) digestum, non ignoremus, quos exscribere supersedemus. Id tamen operæ pretium esse credimus, ut in diversas classes doctissima ac multa & varia doctrina repleta scripta distribuamus. Sunt enim, quædam generalia quædam specialia. GENERALIA scripta, quæ in hunc censum veniunt, omnem de præcedentia doctrinam exhaustire, eamque ad certa & determinata principia redigere laborarunt. Tentavit illud magnus Iureconsultus in elegantissima diatribe *de iure præcedentia*, (i) in qua solido & instructissimo apparatu fatus de dignitatibus, existimatione, titulis honorum similibusque differit, quæ ad eminentiorem evocare solent dignitatis gradum magnam ubique in dissertatione iudicij atque ingenii vim, quam rariorum exemplorum copia commendat, conspicimus, licet optandum, ut doctissimus Iureconsultus aliquando cum maiori selectu ea usus fuisset. Hunc exceptit *Reipublicæ Mindensis Syndicus IACOBUS ANDREAS CRU-*

---

(g) IAC. GOTHOFR. *diatriba de iure præcedentia in protheoria* §. 2. p. 6.

(h) IAC. GOTHOFREDUS in doctissima diatribe *de iure præcedentia* & quidem in protheoria §. 1. nullo tamen observato ordine & absque omni discriminé autores nominat, qui in illistratis questionibus de proedria occupati fuerunt. Paucos & selectos recenset Excell: STRUV. in *Bibliotheca Iuris selecta* Cap. XV. p. 889. edit. nov. Plures nominat LIPPENIUS eiusque Continuator in *Bibliotheca iuridica* sub tit. *Præcedentia, Prærogativa, Proëdria*.

(i) IAC. GOTHOFREDI *diatriba de iure præcedentia*. Gene-  
væ, 1664.

## DE PRÆCEDENTIA OBSERVATIONES.

CRUSIUS (k) Iureconsultus in elegantiori litteratura non parum versatus , cuius tractatus Politico- Iuridico-Historicus de Praeminentia , sessione , præcedentia & universo iure περὶ δικαιολογίας libris quatuor absolutus prostat, in quo omnes pæne quæstiones circa hanc materiam occurrentes attigit, ad specialiores casus dilapsus de figendis decisionum fundamentis non adeo sollicitus. Huc potius respexisse videtur Seabinus Electoralis & Prætor Brandenburgensis BERNHARDVS ZIERITZIVS in commentatiuncula, uti appellat, de Principiū inter ipsos dignitatis prærogativa: (l) qui tamen multa a scopo aliena immisctuit & vulgares repetit sibi plerumque contradicentes opiniones. Germanico idiomate Nobilis Silesius BALTH. SIGISM. STOSCHIVS eandem materiam tractavit , qui tamen eodem, quo ZIERITZIVS mōrbo laborat, imo , lectori affectato scribendi genere stomachum movet. (m) Silentio præterimus dissertationes academicas BESOLDI, COCCEII, RHETII, IESSENII aliorumque, quorum ut mentionem in præsenti exercitatione faciamus, non deinceps abs re erit. Imo prolixum foret, eos nominare, qui quasi in transitu, aut ob materiæ affinitatem, quæstiones huc referendas, resolvere annisi sunt. Spectant ad hoc institutum, qui de honorum titulis, de dignitatibus, de ceremoniis atque solennitatibus egerunt, quorum tantus est numerus, ut illis consignandis aliquot folia consumi facile possent. Optimo ordine atque concinna methodo tradidit varia, quæ ad formandam, de præcedentiis, doctrinam faciunt, Clariſſimus STIEVIVS. (n) Pauca sunt, quæ ZACHARIAS ZWANZIG Consiliarius quondam Aulicus

A 3

Bran-

(k) CRUSIUS de Praeminentia &c. Bremæ 1666.

(l) lenæ 1675. excula.

(m) Baltazar Siegmund von Stosch von dem Præcedenz oder Vorder-Rechte aller Potentaten und Republiken in Europa, sammt einer sonderbahren Zugabe von der Hoheit des Erz-Herzoglichen Hauses Österreich: Breslau 1677.

(n) Europäisches Hoff-Ceremoniel. Leipzig 1715.

Brandenburgensis in opere incomparabili, quod THEATRVM PRÆCEDENTIÆ (o) inscripsit, proposuit, & dispersæ in prolixo volumine Autoris sunt opiniones: Exempla controversiarum illustrium stupendo prorsus apparatu produxit Vir ad iuvanda studia Iuris publici natus LVNIGIVS in Theatro Ceremoniali, Maior Scriptorum, qui *speciales præcedentiarum* controversias publicis scriptis agitarunt, numerus. Hæ enim lites superiori seculo multo cum fervore a Viris doctissimis in arenam deductæ sunt: in primis Hispani ac Galli invicem committebantur. Prodierunt PITHOEI, (p) VIGNIERII, (q) BIGNONII, (r) AUBERII, (s) MOLINÆI, (t) FORCATULI, (u) TENNEURII, (x) GOTHOFRE-

DI

- (o) Prodiit opus an. MDCCVI. sub ficto nomine Ebrenharti Zweyburgi reculsum anno 1709. novamque expectat editionem.
- (p) FRANC. PITHOEUS de la grandeur, droits & preéminences des Roys & de Royaume de France. 1598. in 8.
- (q) NICOLAUS VIGNIER Raisons de prééance entre la France & l' Espagne, proposées par Augustin Granato avec les respon-  
ses à chacune d' icelles. à Paris 1609. 8.
- (r) HIERONYMI BIGNONII de l' excellence des Rois & de Royaume de France traitant de leur prééance & prero-  
gative par dessus les autres. à Paris 1610. 8.
- (s) AUBERY de la preéminence de nos Roys Par. 1650.
- (t) CAROLI MOLINÆI de Excellentia Regni & coro-  
næ Franciæ Paris. 1561.
- (u) STEPHANI FORCATULI de Francorum Regum autoritate & imperio opus citat LE LONG in Bibliotheca Gallica Lib. III.  
Cap. V. p. 567. illudque in volumine operum Forcatulian. 1595.  
impresso invenit narrat: ibi tamen minime deprehenditur, hinc  
suspiciatur aliud esse scriptum, quod ab eodem Autore de Gal-  
lorum imperio & Philosophia Libris VII publici iuris factum est  
impressum apud Jacobum Chouet 1595. in 8.
- (x) Jac. Alex. TENNEURII de Regis Christianissimi Prero-  
gativis. Paris. 1561.

DI (y) SORELLII z) aliquie Gallorum causas agentes : Ex Hispanis Catholici Regis eminentiam propugnarunt MENCHACA (aa) CONRRADUS (bb) IACOBUS VALDESIUS (cc) IACOBUS MAINHOLDUS GALERATUS (dd) CHIFLETIUS, (ee) CAMILLUS BORELLUS. Anglo-rum iura examinarunt HOWELIUS (ff) KENSIEUS. (gg) Præcedentiam inter Legatos Regnorum Portugallie & Neapolis consideravit BERNARDVS de BRAGA ; ANTONIVS QVETTA (hh) quæstionem *Rex Romanorum & Rex Francorum uter alterum præcedat* attigit. IVARVS HERZ-HOLMIVS de Regni Daniæ præcellentia egit. (ii) THEODORVS GRASWINCKELIVS dissertatione prolixa ius præcedentiae inter Venetam Rempublicam & Sabaudie Duceum discussit ; Sabaudie prærogativas vindicavit auctor tracta-

- (y) Theod. GODEFRoy memoires concernants la présence des Roys de France. Paris. 1613.
- (z) M. C. S. S. D. S. divers traitez sur les divits & les prærogatives des Roys de France. a Paris. 1666.
- (aa) MENCHACA in controversiarum illustrium procem.
- (bb) Lancell. CONRADUS in templo omnium judicum.
- (cc) VALDESIUS de dignitate Regum Regnorumque Hispanie & honoratori loco eis seu eorum legatis a conciliis ac romana fede iure debito Granata a. 1602. Et Francof. 1625.
- (dd) GALERATUS de Titulis Philippi Austrii Regis Catholicli. Bononiæ 1573.
- (ee) Jean. Jac. CHIFLETTI de ampulla Remensi ad dirimendam litem de Prærogativa Ordinis inter Reges. Antv. 1651.
- (ff) Jac. HAVEL de præcedentia Regum Francie Hispanie, Angliae &c. Lond. 1664. Anglice & Latine per Hanisium in 8.
- (gg) Geor. M. KENSIE defensio antiquitatis regalis scotorum Grosapiæ Trai ad Rhen. 1689.
- (hh) GOLDASTI Politica Imperialia Part. XI. p. 596.
- (ii) HERZHOLMIUS de præcedentia regni Daniæ. Hafn. 1562.

tractatus de titulo regio domui Sabaudice competente ; (kk) Genuensis Reipublicæ dignitatem afferuit PETRVS BAPTISTA BVRGVVS. (ll) De S. Romani Electorum & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium precedentia Diatribas quinque divulgavit IOAN. FREINSHEIMIVS. Plures iam producere Scriptores supervacaneum esse credimus; sufficiant, quos nominavimus. Omnes pro afferenda certant prærogativa eorum, a quibus plerumque ad sustinendam causam fuerunt conducti. Multos deprehendimus eloquentissimos, qui magna cum cura collegerunt quicquid dici aut proferri potuit, magnam rationum atque argumentorum copiam observamus, quibus aciem quasi instruunt, paucissima id quod probare debent probant, si ornamenta demas quæ ab eloquentia & multivaria doctrina opinioni atque causæ defendendæ sunt adiecta: maiorem imbecillitatem argumentorum sentimus, si a vulgaribus præiudiciis abstrahamus, & allegatas rationes sincere consideremus. Hæc nos commoverunt, ut nobilissimam hanc materiam illustrandam susciperemus, & in genuina fundamenta, ex quibus præcedentiarum controversiæ decidi possent, inquisituri, quid ratio, quid usus, quid pœta in his negotiis valent, videamus.

#### §. IV.

Præcedentia vox, qua in præsenti utimur diversas admittit significaciones, quarum una altera est laxior. Primo enim in sensu maxime proprio & vulgari *præcedentia*, dicitur *ius locum priorem & honoraiorem occupandi*. Aliquando autem in prolixiori significatu accipitur, & omnes *completæ*

(kk) Trattato del titolo regio dovuto alla serenissima casa di Savoia insieme con un ristretto delle rivoluzioni del Reame di Cipri appartenente alle corona dell' altezza reale di Vittorio Amedeo Duca di Savoia Prencipe di Piemonte Re di Cipri. in Torino 1633.

(ll) Petr. Bapt. BURG de dignitate Genuensis Reipublicæ disceptatio. Geneva. 1646.

pleditur eminentias, quibus alter alteri dignitate & honore præfertur, ac non solum ratione sessionis primarium sibi vendicat locum, verum etiam quavis alia occasione signa maioris existimationis sibi exhiberi postulat. Ex qua descriptione intelligimus quam amplissimum sit præcedentiae ius, cum is qui illo prælationis privilegio gaudet, in diversissimis negotiis eminentiorem dignitatem aut distinctiores honores exigere soleat. Est igitur præcedentiae ius facultas aut maiores aut priores honores sibi arrogandi.

## §. V.

Quod ad ipsa honorum signa attinet, ex quibus colligi potest competere alteri præ altero præcedentiam ac prærogativam quandam, ea quoad maximam partem ab humana dependent impositione, eorumque vix alia ratio, quam illa per usum introducta esse, dari poterit. Plurima enim ita sunt comparata, ut, cur aliter non fiant, dicere nequeas: imo observamus morum atque consuetudinum insignem diversitatem, ut alio loco ea habeantur pro testimoniosis eminentiae, quæ alibi inferiorem conditionem designant. Est apud quasdam gentes medius, apud alias locus a dextris, apud nonnullas a sinistris, honoratior. Antiqui sedere a dextris minus honorificum, quam sedere a sinistris censebant BEL-LARMINO referente, (mm) medius locus pene apud omnes gentes honestissimus fuit. De antiquis Germanis elegans producit testimonium ex Posidonio apud Atheneum CLUVERIUS (nn) Convivæ, inquit, plures ad cœnam se convenient in orbem confident: in medio vero præstantissimi sedes est ceu totius cœtus principis; eius nimirum, qui certos vel bellica virtute ac dexteritate, vel nobilitate generis anteit, vel opibus. Hic proxime adsidet dominus convivii; & utrumque, deinceps pro splendore dignitatis, qua excellunt, his a tergo adstant, qui scuta pro armis gestant; hastati vero ex adverso in orbem; quemadmodum domini sedentes cibum

B

una

(mm) BELLARMIN. lib. I. de incarnat.

(nn) CLUVERIUS German. antiquæ lib. I.c. 17. p. 127.

*una cum ipsis capiunt* : Apud Italos locus honoratior creditur, qui muro vel parieti est proximus. Neque una atque constans omnium temporum de his honorum signis esse solet opinio , cum iuniora quæ antiquioribus placuerunt plerumque respuant.

## §. VI.

Prono ex dictis iam fluit alveo, *in actibus, ubi alteri concedenda est præcedentia, mores regionis & temporum geniū attendantur.* Sed si concurrant, qui contrarias de actibus maiorem aut inferiorem dignitatis conditionem innuentibus fovent opinionem, quæstio oritur *ex cuius sententia controversia sit dirimenda?* Nos, salvo aliorum iudicio nobis persuademus, quæstionem hanc iuxta illius opinionem decidendam esse, quem cedere oportet, nam illi incumbit ut testetur se præcedentia ius quod alteri debetur agnoscere: imo cedendo cultum aliquem ac honorem ei exhibeat, cuius gratia se loco movit. Cæterum fatemur mores in urbanitatis ac reverentiae negotiis non semper omnis rationis ac causæ expertes esse, ut non verosimiliter aliquæ dari possint, quamvis non raro in illas inquirentes sibi fingere soleant, quæ forte nulli eosdem mores introducentium in mentem venerunt.

## §. VII.

Sed hoc loco non tam quærimus, quo modo præcedentia alteri tribuatur, cum illi varij atque diversi sint, quam, unde *ius illud descendat*, cuius autoritate illustres personæ, liberæ gentes ac principes alios præcedere solent? Deprivatorum controversiis nobis non sermo est, quod iam superius monuimus: igitur publicas lites inter civitates liberas atque independentes eorumque capita ortas impræsentiarum contemplari constituimus, examinaturi fundamenta ex quibus præcedentiarum prætextus hauriuntur. Ast hic quoque distinctione aliqua opus habemus, cum civitates inter quas eiusmodi controversiæ ventilari possunt diversæ sint naturæ atque conditionis. Primo enim dantur

tur respublicæ liberæ, quæ nullo nexu alteri obnoxiae aut subiectæ tenentur: Secundo aliæ sunt civitates, quæ arteriori quodam vinculo constrictæ, intima quadam relatione sibi invicem iunguntur & unum conficiunt corpus: nam cum membra huius civitatis non ut privati homines aut subditi considerari debeant, altior in controversiis quoque præcedentiarum, quæ inter illos oriri possunt, decidendis, querenda est aliqua norma & regula. Hinc etiam nobis hæc observanda erit differentia, nostrumque institutum iam in duo abit capita, quorum primum fundamenta decidendi controversias præcedentiarum inter Respublicas plane independentes tradit; alterum autem de fundamentis definiendi illas lites in Civitate ex multis illustribus membris composita querit, quam tamen disquisitionem alio loco & tempore suscipere constituimus. Igitur nunc perendum ad

## CAPVT II.

DE

FVNDAVENTIS DEFINIENDI CONTRO-  
VERSIAS PRÆCEDENTIARVM INTER  
LIBERAS RESPVBPLICAS.

## §. I.

**L**ibera Respublica ea nobis dicitur, quæ nullam aliam agnoscit maiestatem, aut nexu quodam sive subiectiōnis sive vasallagii alteri obnoxia est. Ea enim, quæ in tali conditione versatur, non plene libera est, superiorē habet, quem reveratur, cuique vela iure meritoque submittat, non obstantibus splendidissimis quibuscumque titulis, qui haud sufficiunt tollendo nexū, aut æqualitati, multo minus superioritati introducendæ: neque laedit iura civitatis imperantis, si subiectæ eminentioribus superbiant insignibus, quam quidem ipsa respublica, a qua altera dependet. Plena sunt historiarum monumenta exemplis, civitates quibus cives simplici habitu omni externa specie destituti imperant, regna sibi subiecisse, Regesque

B 2

ve-

vectigales effecisse, quod de Republ Genuensi gloriatur BVR-GVS. (a) Roma eieclis Regibus deletoque insigni hoc titulo, nullis cessit regnis, quorum si splendorem conculcare & contemnere posset, multum suæ gloriæ atque majestati accedere credidit: Ita nuda rerum nomina ad substantiam earum nihil conferunt, neque sollicite congesta epithetorum farrago plus iuris tribuit: (b) *Nihil est naturalius quam ut ille, qui alterius patrocinio, dominio aut protectioni jubet, Patrono, Domino atque protectori honoratiorem concedat locum, eique de præcedentia nullas moveat lites.* Cæterum ex pactis aut usu facile constare poterit, quantus alteri debeatur Reipublicæ honor, quæ ipsi existimationis signa sint exhibenda, cum durissima alias foret conditio, si ex alterius libidine ac voluntate dependeret, quos sibi honores præstari velit, ipsique liberum esset, quovis tempore iis augendis aut immutandis studere. Quodsi autem Princeps vel Respublica in tali nexu cum alio Principe aut Republica constituitur, & nihilominus alia possidet bona ac terras, quæ nullius dominio, patrocinio aut protectioni sunt obnoxiae, tenebitur quidem omni tempore beneficij in se collati memoriam retinere, imo facere haud poterit, quo minus singulari honore Dominum directum, Patronum & Protectorem afficiat, quoties ipsi cum illo negotia intercedunt, quæ ex feudo & clientela originem trahunt: in reliquis autem negotiis liberum ipsi est, suæ dignitati atque existimationi quovis consulere modo. Non enim protectio regulariter involvit subjectionem; (c) quorsum respicit vulgatum illud: *Schutz und Schirm giebt keine Obrigkeit;* Quamvis non raro evenire soleat, ut, quæ sunt rerum humanarum vicissitudines, in illam facile

(a) BURGUS de Dignitate Reipublicæ Genuensis Cap. IV. p.39.

(b) GRASWINCKEL. dissert. de iure præcedent. Cap. XV. p. m.

facile degeneret, aut ad minimum innumeris litigiis ansam præbeat, cuius exempla in imperio nostro non fuerunt infrequentia. (d)

## §. II.

Monendum igitur erat, nos hoc loco considerare Principem nemini obnoxium, Civitatem liberam, quæ præter Dcūm neminem superiorem agnoscit. Gentes omni inter se commercio nequeunt renunciare; ab antiquissimis temporibus receptum, ut gravissima negotia tractent, congregantur, deliberent, pacificantur, despondeant: aliquando ipsi civitatum Rectores ac Principes convenerunt, (e) & mutuo colloquio maximas saepius difficultates removebunt: infausto alio tempore congressu, ex quo novæ lites, odia, simultates, contemptus provenerunt. Tutius Legatorum sive Internuntiorum opera uti: qui civitatem aut Principem a quo mandata acceperunt, representare creduntur. Est vero illa representatio vel *solennis*, vel *minus solennis*. *Solennem* eam appellamus, qua quis charactere representante induitus personam Principis gerit, aut loco Reipublicæ adesse existimatur. Est ille character Ambassadoribus sive Legatis primi ordinis proprius (f) atque ex eo singulares profluunt honores ac prærogativæ, quibus Legati inferioris ordinis non solent gaudere, (g) quæ tantæ sunt, ut a nonnullis pares habeantur ipsi Principi aut Reipublicæ debitis. Sed certum est omnem Legatum mittentis repræ-

B 3

sentare

(d) Martin. MAGERUS in doctissimo tractatu de *advocatia armata*. Sententias augustissimi Cameræ iudicij in causa Ingelsheim contra Pfalz apud MEISCHNER. Tom. II. I. 2. Dec. 4. n. 164.

(e) BOECL. dissert. de colloquiis & congressibus Principum.

(f) CALLIERES de la maniere de negocier avec les souverains. Cap. 6. P. 69. WICQVEFORT l' Ambassadeur & ses fonctions Libr. I. p. 5.

(g) Dn. LUNIG. Theat. Ceremon, Tom. I. p. 368.

sentare personam , quamvis mores distinctionem aliquam fecerint ; hinc *minus solennem* illam repræsentationem appellare non dubitavimus, licet enim huic illustris ille character minime impressus præsumatur, nemo tamen inficiari poterit, eum , quocunque titulo fuerit missus, considerandam esse tanquam personam mittentis loco præsentem. Hæc repræsentatio minus solennis ad gerenda negotia imprimis, quæ celeriorem expeditionem efflagitant, aptior visa est, quam illa solennis, quæ multarum litium, controversiarum, mater esse solet, quibus raro aliquid proficiunt, potius relictis primariis negotiis, tempus solennitatibus protrahitur, aut inutilibus litigiis fallitur. Interim ex dictis constare poterit, sèpius de præcedentia litibus occasionem affulgere, sive Principes ipsi congregiantur, sive Res publica cum altera tractet, sive Legati & Ministri mittentem repræsentent. Quamvis enim id certum sit, gravissima quævis negotia tractari atque absolvi posse, ita, ut omnes de præcedentia lites ac quæstiones evitari queant : vidimus tamen de illis sèpius quasi de summa salute, libertate atque iuribus agi, ac si omnis salus & felicitas, honor & maiestas in prioritate sessionis similibusque externis honorum signis collocatae essent.

### §. III.

Frequentes itaque solent de præcedentia lites & iurgia inter Principes ac Res publicas oriri: hinc non inutilis est ea disquisitio, quæ fundamenta harum litium componendarum examinat, atque in vim argumentorum inquirit, quibus multi de præcedentia quasi optimo iure competenti differentes, utuntur. Tria autem hic observanda sunt : in decidendis præcedentiarum controversiis videndum, quid *Prudentia* suadeat, quid *Injustitia* iubeat, atque permittat, quid *Humanitas* commendet : hæc enim ab iis admodum confundi, qui Præcedentiarum materias publicis scriptis excusserunt, experientia docti novimus. Ea est humanarum rerum conditio , ut non omni tempore iure nostro, licet perfectissimo,

uti

uti atque frui consultum sit : prudentia vult, ut aliquando quid perferamus, ut sileamus, fierique illud patiamur, quod si de iure quæstio sit, optime prohiberi poterit. Silentio aliquando maiores difficultates evitamus, maiora pericula evademos, quam nimis insistendo iuri, obtinebimus. Hinc si in humanis negotiis iustitiæ leges cum prudentiæ consiliis sunt conferendæ, necessaria illa & proficia est collatio in quæstionibus circa præcedentiam. Ex his principiis actiones liberarum gentium, magnorumque principum aut Ministrorum dijudicemus, quoties de præcedentia aut iam lites motæ fuerunt, aut imminuerunt?

## §. IV.

De Iure impræsentiarum loquimur ; id est, quærimus rationes ex quibus Princeps aut Respublica præcedentiam sibi asserere & ab aliis desiderare queat, ut ipsi cedant. Multa recenseri solent argumenta, quæ an satis stringant, videndum erit. Sed antequam pergimus, restat, ut circa quæstionem, *in quonam Jure, norma ac regula decidenda quæstionis de præcedentia deprehendatur?* mente nostram exponamus. Omne autem quod iustum est, legem sequitur. Ast ad quas leges in eiusmodi controversiis est recurrentum? Gentes quæ liberæ sunt, alterius legibus subjectæ non sunt, illasque pro norma suarum actionum minime habebunt: Hinc concludimus, leges ex quibus lites præsentiarum inter liberas civitates & principes examinari debent, non esse leges particulares unius Reipublicæ, cum alteri nulla obsequii incumbat necessitas, qvævis civitas idem Ius statuendi habeat, atque in hac libertate facile orientur contrariæ prorsus constitutiones & sanctiones, quæ nullo modo invicem conciliari queant. Hæc est ratio, cur tot difficultates nascantur, quoties in Principum aulis ceremoniarum modus mutatur, ubi extraneorum ministri admodum scrupulosi sunt, in admittendis novis moribus, quum sibi legem dici vix patientur. Hinc non alia

alia ex his dubiis atque ambiguis negotiis evadendi invenitur via, quam ut Princeps ac Respublica omnem affectatæ legislatoriæ vel quasi potestatis renoveat suspicionem, imprimis autem caveat, ne intuitu quorundam indulgentior, aliorum autem respectu rigidior videatur. Nihil facilius negotia similia inextricabilibus difficultatibus involvere potest, quam neglectum æqualitatis studium, cum Princeps aut Respublica ægerrime ferat, si aliquid constitui videat, quo sola obligari debet, aliis libertate ad illarum exemplum se conformandi relicta. Illustre nobis præbet testimonium aula Serenissimi Daniæ Regis, quæ aliquot ab hinc annis a pristina Legatos recipiendi & tractandi more recessit, introducto novo quodam ordine, quem *Reglement* appellare solemus. Ad hunc cum Legatus Anglicus *Dn. de Vernon* se accommodare dubitaret, jussum Reginæ expectabat, ea vero annuente, litteras reversales gallica lingua conscriptas a Magistro Ceremoniarum accipiebat, qvarum sequens erat tenor: *Regiam Maiestatem Daniæ ac Norwegiæ ex ore Consiliariorum percepisse. Legatum extraordinarium Maiestatis Regie Magnæ Brittaniae declarasse, qvod ipsi à Regina imperatum fuerit, ut Regis Daniæ ordinem novissime præscriptum observare debeat, quoties a Regia Maiestate ipsam adeundi facultatem impetraverit: dictam Maiestatem Daniæ Regiam pro testimonio amicitiae agnoscere, quod Reginæ Magnæ Brittaniae placuerit, suo exemplo alis Principibus præire, atque mutationes in ceremoniis noviter factas, evitatis omnibus circa receptionem nove ordinationis difficultatibus approbare: Daniæ Regiam Maiestatem sancte polliceri, se neminem extra-neorum Legatorum secundi ordinis admissurum esse, qui non iisdem ceremoniis, que iam pro introductis habentur, se submiserit: interim ex Regio Mandato hanc declarationem conscriptam & Legato Britannico insinuandam esse.* Haffniæ d. 6. Maii 1702. Hunc agendi modum suadet prudentia. Sed quis obiecerit, maiestati in territorio, cui præst, omnem Leges ferendi competere potestatem, ac ex illius dependere

re

re arbitrio, quos honores advenis Legatis extraneis ac similibus personis exhiberi velit : qui enim præscriptum modum observare recusaverit, domi maneat, imprimis cum personæ publica authoritate munitæ plerumque alegari soleant, cum mittentis eos recipi intersit. Neque inficiamur, huic obiectioni aliquod Iuris adeste præsidium. Ast consideremus, hac ratione commercium inter gentes, ex quo tamen innumeræ utilitates profluent, facile interrumpi ; alias Respublicas ac Principes eodem Iure usuros esse ; inde damnosas collisiones esse orturas ; & tandem ea statuta minime normam dare aliis conventibus atque congregatis, qui in tertio fiunt loco : tuto igitur concludimus, præcedentiarum controversias nulla ratione ex legibus particularibus unius alteriusve gentis decidendas esse.

## §. V.

Offerunt nobis alii D. IUSTINIANI, magni istius legislatoris, legum volumina; in his enim nonnullorum iudicio difficillimorum quorumcunque casuum resolutiones occurunt, quidni etiam de Præcedentiarum controversiis dirimendis audiendus est TRIBONIANUS? Nobis alia sedet sententia, qui huic Iuri, si quam, non aliam quam Iuris privati tribuimus auctoritatem : in publicis controversiis, imprimis inter liberas gentes agitatis, sileant Leges privatæ, & nemo forte hoc nostro ævo ad hunc Romanæ Iurisprudentiæ Codicem in litibus illustrioribus componendis provocabit. Hinc non prolixii sumus in oppugnando vulgari illo præjudicio, leges Romanas fontes decidendi publicas controversias præbere : excusserunt nostra tempora eam peregrini iuris servitutem, quæ liberiora ab effatis Romanorum non ubique dependent. Plura non adiicimus, ne centies dicta repetamus. Satisfecerunt alii obiectionibus, quæ pro autoritate Romanarum Legum in controversiis liberarum gentium præferri solent ; in earum doctrina atque argumentis acquiescere nobis iam placet. Gravior surgit

C

quæ-

quæstio : quænam in his Præcedentiarum controversiis iuris Canonici sit autoritas ? Ardua & maioribus dubiis implicita quæstio : illi enim aliae plures involvuntur ; non enim in ea de autoritate Voluminis iuridici ac Codicis cuiusdam, sed de *Conditoris*, id est, summi Pontificis iuribus agitur, quæ si in dirimendis Præcedentiarum Controversiis vacillant, omnem canonici iuris autoritatem in similibus quæstionibus abripiunt.

## S. VI.

Ius canonicum est ius, quod Ecclesia sibi constituit. (b) Ecclesia enim multis abhinc seculis civitatis formam induit, suasque leges, & speciale forum habuit. Anceps diu fuit quæstio, quæ in republica ecclesiastica regiminis forma sit introducenda : eoque res devenerunt, ut tandem in monarchiam degeneraret, cui Pontifex Romanus præsidere voluit, a quo tanquam summo in Ecclesia Monarcha, omnes pontificiæ sedi obstrictæ respubliæ leges quodammodo acciperent. Est ea republica amplissima, si consideremus fines, quibus continetur, qui in plurima Europæ regna & provincias se extendunt : ut hactenus nulla fuerit monarchia, quæ ad magnitudinem & prolixitatem monarchiæ illæ pontificiæ accesserit. Hinc non dubitat BAYLIVS (i) conditores Imperii Ecclesiastici cum maximis heroibus comparare, qui multa cum fortitudine & invicta constanter in crudelissimis pœnaliis & conflictibus compaterunt. Merentur verba ingeniosissimi Scriptoris ut hic referantur: easdem artes, inquit, ad occupandum in Ecclesiam imperium, quæ ad regni five imperii civilis acquisitionem necessarie fuerunt. Autoritas Pontificum, quæ ad tantum fastigium ascendit, maiorem meretur admirationem, quam vastæ Romanæ Monarchiæ institutio:

(b) FRANC. de ROY iuris canonici institutionum tit. I. p. 26.

(i) BAYLE in dictionario sub voce Gregorii VII, Tom. II. p. 1310.

stitutio: credimus, divina quadam prædestinatione civitatem illam primum evagisse mobile qualitatum ac virtutum; quæ ad jacienda fundamenta tanti imperii requirebantur. Non sine stupore consideramus, Ecclesiam armis modo spiritualibus verbi divini instructam, cuiusque præsidium in solo Evangelio, quod humilitatem atque paupertatem commendat, reperitur, eo tamen temeritatis processisse, ut ad dominatum quendam in omnes terrarum Reges aspiraverit, id tamen supra omnem possum est admirationem, illud sedis romanæ consilium vanitatis ambitionisque plenum, tam felici successu atque eveniu fuisse beatum.

## §. VII.

Hæc regnandi libido non solum ecclesiam christianam afflixit, & absolutam quandam edicendi potestatem rapuit; verum etiam ulterius in iura Principum & Rerum publicarum maiestatica grassabatur. Erigebat Pontifex tribunal quasi supremum in Christiano Orbe, ad quod etiam causæ Christianorum Principum devolvi possent: Ipse Iudex summus præsidebat sub prætextu ementiti cuiusdam Vicariatus. Tantam spirant superbiam verba GREGORII VII. quibus Patres concilii Romani allocutus est: (k) *Agite nunc quæso, Patres & Principes sanctissimi, ut omnis mundus intelligat & cognoscat, quia si potestis in cœlo ligare & solvere, potestis in terra Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus & omnium hominum possessiones pro meritis tollere unicuique & concedere.* Quid arrogantius atque inhumanius dici poterat? Expeditius iter ad enormem hanc potentiam reddidit supersticio istorum temporum, quæ doctrina de Pontificis summa auctoritate inebriata erat. Non mirainur, quod primum sibi inter omnes Reges ac Principes locum arrogaverit Præsul Romanus, licet titulum

C 2

Servi

(k) ALEXANDRI Dissert. 2, in Historiam Ecclesiasticam Sec. XI, & XII.

Servi Servorum (*l*) affectaverit; quem & hodie adhuc in Bullis adhibere solet, cum in brevium epigrapha nuda vox *Papa* legatur. Creverunt tituli, insignia, honores, cum arrogantia Præsulum Romanorum. Hinc, qui olim nomen illius, cui scriebant, suo præponebant, quod a Leonis Magni temporibus ad Ioannem usque octavum in usu fuisse nonnullis videtur, a Nicolai I. tempore certa quasi lege Regum atque Episcoporum nominibus suum præposuerunt. (*m*) Refert antiquum litteras scribendi modum LIBER DIURNUS (*n*) a IOANNE GARNERIO editus. Memorat superscriptionem ad Principem sive Imperatorem orientalem directam sequenti ratione factam: *Domino piissimo & serenissimo Victori ac triumphatori filio, amatori Dei & Domini nostri Iesu Christi, Ill. Augusto, Ill. Episcopu<sup>r</sup>, Servus Servorum Dei.* Ipla filiorum appellatio, quamvis humana & amoris plena videatur, in odium Principum atque Regum se aliquando convertit, cum Pontifices nimia sèpius sub filialis obsequii titulo postulaverint.

### §. VIII.

Non anxie conquirenda sunt pontificiæ ambitionis specimina: Ad sunt nobis testes ipsius aulæ Romanæ Scriptores, inter quos iam ad manus sunt MARCELLI (*o*)

*Arch.*

(*l*) IOH. FRIDER. MAYERI *Dissert. Histor. Theolog. ac titulo Pontificis Romani Servi Servorum.*

(*m*) PETR. IOS. CANTELIUS in *historia metropolitana urbium.* Part. 2. p. 150.

(*n*) LIBER DIURNUS *Romanorum Pontificum ex antiquissimo Codice MS. nunc primum in lucem editus opera & studio Joannis Garnerii.* Paril. 1680. Tit. I. p. 2.

(*o*) Edidit CHRIST. MARCELLUS & quidem cum pontificio privilegio LEONIS X. *Rituum ecclesiasticorum, sive sacrarum ceremoniarum libros tres.* Hanc editionem graviter tulit

Arch-Episcopi Corcyrensis libri tres *sacrarum ceremoniarum sive rituum Ecclesiasticorum*, in his enim de reverentiis, quæ Romano Pontifici exhibentur, sequentia leguntur: Omnes mortales & præsertim Christi fideles, cuiuscunque sint dignitatis & præminentiae cum primum in conspectum Pontificis adveniunt distantibus spatiis ter debent ante illum genu flectere, & in honorem Salvatoris nostri Iesu Christi, cuius vices in terris gerit, eius pedes osculari. Imperator, Reges, maxi-mi Principes, Principum seu Potentatuum Oratores prima vice & ad osculum manus & oris recipiuntur, alii ad pedes tan-tum &c. E contrario Romanus Episcopus, qui tot & tantos honores sibi exhiberi iubet, teste eodem MARCELLO nemini mortalium reverentiam facit assurgendo manifesse, aut caput inclinando, seu detegendo. Romanorum vero Imperato-ri postquam illum sedens ad osculum pedis & manus suscepit, aliquantulum assurgit ad oris osculum mutuo charitatis am-plexu illum benigne recipiens: idem aliquando facit & magnis regibus. Cæteros omnes tam principes quam prælatos cujus-cunque dignitatis sint, cum ad oris osculum eos recipit, non assurgit, sed sedens recipit. Consueverunt tamen Pontifices Cardinalibus & maximis Principibus privatim adventantibus & reverentiam facientibus, cum non sint in Pontificalibus ali-

C 3

quan-

tulit PARIS de CRASSIS, Ceremoniarum tunc in Urbe Magister, ratus, arcanos ejusmodi ecclesiæ ritus non esse pro-ferendos in vulgus, ne in contemptum tandem veniant. Unde querelas de hac editione deposituit apud Pontificem, apud quem accusavit plagii Archiepiscopum Corcyensem, propterea, quod Augustini Piccolominei opus de sacris ceremoniis sub suo no-mine vulgasset. Imo petuit Paris librum ceremoniarum nuper impressum omnino comburi simul cum falso autore, aut saltē ipsum autorem corrigi & fustigari. Hæc refert MABILLO-NIUS Musæ Italici Tom II. Comment. p. V. & VI. qui etiam p. 587. ex Diario Paridis de Crassis excerpit, quæ de Corcy-rensis libro & plagiò agunt.

*quantulum caput inclinare, tanquam reverentiam reddentes.  
Et hoc non ex officio, sed ex laudabili humanitate. Quæ an sit  
vera humanitas iudicent vel mediocri iudicio pollentes.*

§. IX.

Imo illustrium controversiarum arbiter voluit esse sumimus Pontifex, quam ius dicendi autoritatem arripere potuit, cum sibi maiora iura competere pene terrarum Orbi persuasisset; Inter privilegia pontificiæ sedi, quasi divinitus concessæ, non ultimo loco nominandum est ius reges constituendi aut deponendi, quod maxima cum temeritate gloriati (p) sunt sibi deberi Pontifices Romani; Docuit experientia curiæ romanæ curam aliquando eo directam fuisse, ut omnes Principes ac Respublicas sibi tributarias & vestigales efficeret. Exhibit CANTELIUS (q) indicem progressuum, quos in tanto fecerant instituto: Romanæ sedi, inquit, cum multa sint, quibus sedibus præstat ceteris ornamenta; tum illud præ aliis præcipuum est & singulare, quod omnes fere Europæ totius Principes vel ab ea petierint ius coronæ gestandæ, quæ regiæ potestatis insigne est; vel provincias quibus præerant vestigales esse voluerint, quæ summa illorum fuit in Romanos Pontifices observantia. Lubet hoc loco singulas appellare, ut quanta sit Romanæ Sedi maiestas, cuivis cognoscere liceat: Provinciarum vero & urbium & regnorum nomina sunt hæc: Anglia, Hibernia, Scotia, in Gallia Britannia minor, Provincia, Avenio, Comitatus Venafrinus, Valentinus, Dienensis: Hispania & in ea Portugallia, Arragonia, Tarraco; Regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia, Corsica: Dalmatia, Croatia, Servia, Rascia, Bosnia, Bulgaria, Hungaria, Polonia, Lithuania, Russia, Bohemia, Saxonia, Bambergia, Dania, Norvegia, Suecia, & ultra Europe

(p) DN. LUDEWIG, in nenii Pontificiis CLEMENTIS XI,  
inter Opuscula Tom. I. p. 172.. confer, TRAITE de L' AU-  
TORITE DU PAPE T IV. p. 2.

(q) CANTELIUS loco cit. p. 230.

*ropæ fines, Gerba, Insulae Cercinæ, Fortunatæ Insule, Armenia &c.* Sed non suscipimus examinandum hunc catalogum, circa quem multa moneri possent.

## §. X.

Tam secundis aulæ romanæ rebus non miramur, Pontificem Romanum olim in controversiis præcedentiarum certo modo supremum egisse iudicem. Dignitas Principum ex loco, quem in capella summi Pontificis (*r.*) occupare solebant, æstimabatur: neque tamen perpetuus & immutabilis ordo fuit, quod ex illius diversa consignatione (*s.*) patet & ex litibus constat, quæ multo cum fervore inter ipsos Reges ac Principes agitatæ sunt. Neque dubitarunt Principes de primo loco controvertentes ad curiæ Romanæ decisionem provocare. An serio, dicant alii; cum pene omni occasione, qua in simili causa sedis romanæ autoritas implorata est, provocantis conditio favorabilior extiterit, suæque sententiæ patrocinium in Pontificiæ sedis decreto inventurum crediderit. Ita Maximiliano II. imperante Galliæ Legatus Episcopus Rhedonenfis litem inter Hispaniam & Galliam de præcedentia Pontificis autoritate dirimendam existimans, repulsam tulit; quod ex litteris Maximiliani II. ad Galliæ Regem datis discimus, quas Imperator FERDINANDUS III. auspiciis ipsis tractatum Westphalicorum produxit, cum Legatis suis rationem præscriberet, quæ se gere-re deberent, si forte lis atque contentio Hispaniæ inter atque Galliæ Legatos nascerentur. In ipsis autem litteris Maximiliani sequentia recensentur: *Etsi enim ad nos antehac ex urbe perlatum & nunciatum fuerit, SANCTISSIMUM DOMINUM super ista controversia decretum quoddam promulgasse, quod nos suo loco relinquimus, neque id hoc tempore probare vel improbare cogitamus: Novit tamen serenitas Vestra,*

ea

(*r.*) MARCELLUS Lib. 3. Sect. 2. p. 292. *de ordine sedendi in capella Papa.*

(*s.*) THEATRUM CEREMONIALE Tom. I. p. 8. & II.

*ea quæ Sanctitas sua in curia sua de rebus eiusmodi profanis statuere & prescribere solet, ad nos nihil pertinere, neque enim credimus animum Sanctitatis suæ unquam fuisse, vel adhuc esse, quod nos instar nudi executoris debeamus eiusmodi decreta & constitutiones sanctitatis suæ executioni mandare. Nam quemadmodum nobis videtur, æquum est, nos indiferentes in omnibus rebus, in quibus sanctitas sua se iudicem constituit, simpliciter & absque omni, sive judiciali, sive extrajudicali cognitione iudicium & voluntatem sanctitatis suæ sequi.* (t)

## §. XI.

Egregie & solide imo dignitati Principum convenientia hæc statuta atque dicta sunt. Nimia sibi sumit Romanus Præfus, si lites ac controversias liberas inter gentes & respublicas enatas ad sua iudicia trahere velit. Sit ipsi potestas in *spiritualibus atque ecclesiasticis*: ut ex principiis romanæ Ecclesiæ loquamur: ne turbet Principes ac Respublicas in negotiis mere *secularibus atque mundanis*. Non nova hæc est distinctio, quibus aliqui Pontifices autoritatem certis cancellis includi posse crediderunt, fingentes dupl. cem in Pontifice personam *spiritualem* alteram, alteram *secularem*: quoad priorem omnes capiti Ecclesiæ exhibendos esse honores concedunt: in posteriori tamen sensu Papam non alia contemplantur ratione, quam ut secularem quemvis Principem, contra quem arima capi, cuiusque iniusta vota, desideria & conatus reprimi possunt. Salva res est. Sed nobis videtur hac distinctione exorbitans potestas nondum iustis limitibus inclusa: Hactenus enim in ambiguo fuit, quæ sit *ecclesiastica*, quæ *secularis* Pontificis persona, & que ut incertum adhuc est, nullaque accurata definitione quæsumum, quæ causæ ad ecclesiasticas, quæ ad seculares sint referendæ, de qua confusione aliquoties in Germania conquesti sunt Proceres. Ast nondum hoc finium regundo.

(t) LONDORP, *Actor Publicor. Tom. VI. p. 318, & 319.*

gundorum iudicium institutum est. Spem aliquando fecerat invictissimi Cæsarisi IOSEPHI I. Capitulatio Art. XVIII. in quo promittebatur: *imperatorem laboraturum, ut causæ seculares ab ecclesiasticis distinguantur*: Wir wollen daran seyn, daß die cause seculares ab ecclesiasticis rechtlich distinguiret, auch die darunter vor kommende zweyfelhafte Fälle durch gürliche mit dem Päpstlichen Stuhle vornehmende Handlung und Vergleich erlediget, vor der geist- und weltlichen Obrigkeit einer jeden ihr Recht und Indicatur ohngefähr gelassen werde. Forte romana curia accuratam huius differentiæ in utroque foro decisionem maximopere evitabit: hactenus enim ex incertitudine atque confusione principiorum, a quibus solida præsentis questionis resolutio dependet, pro temporum atque personarum conditione hausit utilitatem, nondum forte abiectamente, recuperandi pristinam usurpatam potestatem, quam moratoria & saniora haec tempora in omnibus pene Orbis Christiani Rebus publicis excusserunt. Interim periculosa rursus propagarunt Romanenses Scriptores principia, inter quos eminuit BELLARMINVS, (u) qui modestiori dicendi genere usus Romani Præfulis potestatem in ecclesiasticis ac spiritualibus *directam*, in secularibus *indirectam* esse statuit: medium elegisse viam visus, utrosque offendit & Principes & Pontifices: atro quoque calculo scriptum eius notatum a Sexto V. cum directam in secularibus æque ac in spiritualibus tribui sibi voluit potestatem; de qua tamen sententia superiori seculo innumeris pene scriptis concertatum, quorum Catalogum prolixissimum nobis dederunt Viri Celeberrimi CASPAR SAGITTARIUS & IOH. ANDREAS SCHMIDIUS. (x)

## §. XII.

Nimiam incideremus forte prolixitatem, si impræsen-  
D tiarum

(u) BELLARMINUS in libello de Romano Pontifice. Confer.  
BAYLE in Dictionario sub voce BELLARMIN.

(x) In Introductione ad Historiam Ecclesiasticam. C. 27. p. 713.

tiarum originem tantæ potestatis examinandam suscipere-  
mus, cum mirandum sit, Præfulem Romanum, potentissimos  
Reges, Principes atque Republicas suo iudicio atque curia  
submittere tentasse, idque non infelici successu: sed non  
altius repetendæ erunt causæ, quarum prima & ultima est  
præiudicium infallibilis sanctitatis & concreti Vicariatus,  
cuius divinam institutionem ea seculorum barbarie ac igno-  
rancia gentibus persuadere non impossibile erat. Hinc,  
nisi fallimur, hæc initia, hic processus fuit. Sedis Roma-  
næ Maiestas auctoritati, quam Ecclesia sibi comparavit, ini-  
nititur: Iura enim Ecclesiæ successu temporis in Pontificem  
Romanum translata, sive ab illo usurpata sunt, eadem qui-  
dem ratione, qua in Republica quadam civili maiestas apud  
populum residens uni personæ tradi potest. Iam non quæ-  
rimus, quo iure Ecclesia similem potestatem sibi arrogaver-  
it, quam periculosa sit illa doctrina, Rempublicam esse in  
Ecclesia, satis est monuisse: Ecclesiam Christianam non modo  
se in formam civilis societatis composuisse, verum etiam  
imperium in ipsas civitates seculares variis prætextibus oc-  
cupasse, imprimis autem ius distribuendi dignitates atque  
honores pro meritis, quibus Ecclesia ornata fuit, exercuisse.  
Opportunam præbebant occasionem Concilia, in qui-  
bus Principes Christiani olim præsentes esse solebant: magna  
in his conventibus animi contentionе de sessionis ac loci  
prærogativa agebatur, decadentibus quandoque Concilii  
Patribus. Ordinem olim observatum, ex PARIDIS de  
**CRASSIS** libello sub Iulio II. in illud argumentum edito,  
nec non IULII II. Epistola, quam ad Principes Christianos  
scripsit contra Cardinales, qui ab ipso desciverant, refert  
**CANTELIUS**: (y) *Quo vero loco, inquit, Principum  
Legati alias sedent, in Synodis paucis accipe: Primas tulit  
Imperator, secundus Francorum Rex . . . tantaque religione  
ea sedendi, sive lex, sive consuetudo servata est, ut ne in  
mentem quidem venerit, ceteris Regibus ante Annum*

M.

(y) **CANTELIUS** I, cit. p. 134.

M.DLVIII. cum Rege Gallie de loci prærogativa contendere. Hos excipiebant Reges Castellæ, Arragonie, Lusitanie, quibus parem sibi honorem tribuebat Anglia Rex: deinde Sicilia Rex, qui Lusitano, Scotie, qui Hungaro saceriorem se prædicabat: denique cæteri Reges Navarræ, Bohemiae, Poloniae, Daniæ Regibus ut dignitate, ita loci honore proximi erant Duces, e quibus agmen ducebat Dux Britannie, tum Burgundiæ, Bavariae, Comes Palatinus, Dux Saxonie, Marchio Brandenburgensis, Duces Austriae, Sabaudie, Mediolani, Venetiarum, Lotharingie, Borbonius, Aurelianensis, Genuensis & Ferrariensis. Sed optime addit Cantelius, quod non ausit, eo quo recensuit ordine omnes consedisse, præstare: imo putat, cum iam multorum Principum stirps extincta sit; aliorum vero iura multis decorata honoribus; hinc quis cuique sua ætate debeat locus, nec sui iuris esse definire nec consilii. Imo si historiarum, quæ de Conciliis egerunt, monumenta consulamus, difficillimas semper in conciliis de præcedentia motas esse disputationes, observamus. In Concilio Basileensi Dux Sabaudie querelas contra Ducis Burgundiæ Oratores movit, quibus Legati Ducis cedere nolebant, vix tamen (z) ut præirent sperare poterant. Tandem in eum modum composita controversia, ut dexter Burgundionis locus post Patriarcham Alexandrinum, sinister post Antiochenum Sabaudo assignaretur, addita declaracione, hunc quam proximum a Burgundione esse honoratiorem. Reclamavit Amadeus his auditis, & per litteras cum Patribus graviter expostulavit, in sedibus Oratorum suorum prægravari se non ferens, ut constat ex Epistola, quæ inter acta Concilii excusa legitur: Imo habuerunt Oratores Amadei contestationem ad Patres, ne quo præiudicio domini sui dignitas laderetur, quam prolixe recenset Sabaudie Ducis Historiographus, (aa) ex qua notari

D 2

me-

(z) HARDUINUS in Actis Concilior. Tom. VIII.

(aa) In libro Parsiis a. 1626. impresso, cui titulus: Amadeus Pacificus seu de Eugenii IV. &amp; Amadeti Sabaudie Ducis in sua obe-

merentur sequentia: Sunt Ambasciatores Illustrissimi Principis Dn. Ducis Sabaudie, videlicet Dominus Episcopus Bellicensis & alii sui collegæ contenti acceptare locum, quem eis assignat hæc Sancta Synodus in sessionibus, congregationibus generalibus & aliis actibus publicis & privatis; ad sinistram partem, immediate post Patriarcham Antiochenum, nisi de novo subveniant aliqui Regum vel Ducum Ambasciatores, qui iure suo præcedere debeant, ad evitatem cuiuscunque turbationis & scandali; Protestatione tamen præhabita & admissa per sanctam congregationem generalem, quod possint & valeant probare, quoties opportunum fuerit & eis videbitur &c. in Concilio Tridentino eadem agebatur causa, surgentibus gravissimis de prærogativa & sessione litibus, ita ut Patres speciali decreto cavere voluerint, nemini ex loco sessionis similibusque actibus præiudicium aliquod timendum esse. Verba Decreti refert PALLAVICINUS (bb) Declarat sancta Synodus ex loco assignato Oratoribus tam Ecclesiasticis quam secularibus in sedendo, incedendo aut quibuscumque aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præiudicium, sed omnia illorum & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum ac Principum suorum iura & prærogativas illesas & salvas esse, in eodemque permanere, prout ante præsens Concilium reperiebatur.

### S. XIII.

Satis &, quod forte multis videbitur, nimis prolixè de autoritate summi Pontificis, Conciliorum imo ipsius Ecclesiæ in decidendis præcedentiarum controversiis egimus, quibus omnibus denegavimus potestatem ius inter liberas respuestas in his causis decidendi, nisi quatenus sponte se arbitrio ac sententiæ in romana curia ferendæ submittere vellent.

---

obedientia felicis Papæ V. nuncupati controversiis Commentarius iussu Serenissimi Ducis ab eius Historiographo digestus p. 9.  
ÆNEAS SYLVIUS lib. II. de gestis Concil. Basil.

(bb) PALLAVICINUS in histor. Concil. Tridentini Lib. 24.  
Cap. 8. p. 309, PAULI SARPI histor. concilii Trident.  
Lib. 8,

lent. Quod tamen multi vix credere poterunt esse consilii; ac tale arbitrium sine periculo iurisdictionis novæ fundandæ haud agnoscitur. Neque nos pœnitet, circa hanc materiam excutiendam quodammodo fuisse prolixos, cum olim maxima vis argumentorum de præcedentia prolatorum ex his fontibus fuerit petita. Si enim affirmamus Ecclesiam, Concilia, Pontificem Principibus atque Rebus publicis locum, fessionem & prærogativam sua autoritate minime concedere posse, non negabimus, in his litibus atque controversiis parum præsidii a legibus ecclesiasticis, iuribus canonicis, Pontificum decretalibus, conciliorum decretis, ac similibus expectari & proinde alia decisionum fundamenta quærenda esse, quamvis scripta plurima doceant, ex his principiis primaria prærogativæ argumenta hausta esse. Quid, quæso, Ecclesiæ cum dignitatibus humani negotii, quæ a suo fundatore, nullam magis, quam humilitatem commendatam accipit virtutem; unde Ecclesiæ potestas definendi præcedentiarum lites, quæ curam magis æternarum quam temporalium rerum habere debet? Præmia, quæ de Ecclesia bene meriti polliceri sibi possunt, non in externis atque humanis nostro iudicio consistunt honoribus; sed spiritualibus atque in futura aliquando vita ex manu unici Ecclesiæ Capitis capiendis. Quale Ecclesia sibi arrogare potest ius distribuendi honores, largiendi prærogativas, cum illi nunquam imperium in respuplicas concessum atque datum fuerit. Facultas vero distribuendi honores atque dignitates concedendi, ius est, quod Maiestas exercere sola potest, quam Ecclesiæ in Christianum Orbem concedere idem est, ac Principes, Reges & Respublicas sua independentia, ac maiestate privare, & supremum dominium in Ecclesiam resignare, ex quo præiudicio, quæ clades, quæ infelicitas, quæ turbæ in Orbem Christianum fuerint inventæ, loquuntur historiæ, horrent nostra tempora.

## §. XIV.

His iam positis fundamentis contemplemur, quam lubrico stent talo plura argumenta, quæ in controversiis præ-

D 3

ce-

cedentiarum allegari solent, nobis autem delecta iam Ecclesiae & Pontificis autoritate sola fulciri videntur. Sunt I. qui præcedentia*re* ius aliquod oris credunt ex antiquitate Christianæ fidei assumptæ. (cc) Ita VALDESIUS inter primarias rationes, cur Hispaniæ Regi inter Christianos Principes primus sit concedendus locus, recenset; Hispaniam primum esse regnum in recipienda & profienda fide Christiana tam in universa regione, quam in quibusdam eius provinciis, in ea primam ecclesiam fuisse conditam, primum concilium celebratum, primum Pontificem ex hac natione electum, primum Imperatorem creatum, primam epistolam a Pontifice missam, primum legatum & nuntium destinatum; primum sanctum, cui Ecclesiam dedit Roma, primus, qui converterit Imperatores. Magna hinc inter Historicos contentio, quo tempore haec vel illa gens Christianismo fuerit initia. (dd) Non diffitemur, singulare providentia divinæ id beneficium esse, quod haec vel illa gens idolorum servitutem citius eiurare potuerit, quam quidem altera: non negamus, deberi ipsi aliquam laudem, quod ad excutiendam idololatriam & abiiciendum atheismum prior fuerit; ex quo autem nova accedere debeat dignitas non video, cum gens, quæ posterior ad fidem Christianam se convertit, eandem profiteatur, quam ea, cui ad Christiana sacra prior aditus fuit: eaque licet posterior æque Christiana sit ac altera, imo duram subiret conditionem, si amplectendo Christianam religionem, aliquid suæ dignitati detrahi sentiret: quod ut inhumanum esset, ita nullo iure fieri posse existimamus.

### §. XV.

Objiciunt secundo alii merita, quibus Ecclesiam Christianam Respublica vel Princeps quidam ornavit: hinc pro-

(cc) VALDESIUS de Dignitate Regum regnorumque Hispaniæ Cap. VI fol. 52.

(dd) Dn: STIEVIUS in Ceremoniali Europæo. p. 37. CRU-  
SIUS de Præcedentia Cap. VI. §. 44. p. 63.

propter eorum magnitudinem priorem deberi locum atque prærogativam existimant. Prolixissimi sunt in enumera-  
ndis his meritis atque contexendo indice præclare in Ec-  
clesia gestorum, de Præcedentiis Scriptores. Intricata tamen  
atque confusa hæc disputatio. Primo enim in conceptu *de Ecclesia* non semper una differentium est opinio, cum ple-  
riique, in sensu nimis angusto, per Ecclesiam intelligent Ro-  
manam, quæ tamen, si ingenuo loqui licet, particularem  
modo constituit Ecclesiam, & sub titulo universalis Eccle-  
siae minime venire poterit. Altera quæstio hoc loco con-  
sideranda ea est, quænam *meritorum* sit natura, ex quibus  
ius aliquod præcedentia oriri debet. Id definire, multum  
habet difficultatis. De Ecclesia bene mereri, nobis dicitur,  
integritati Ecclesiæ conservandæ studere, abusus mores in  
Ecclesia corruptentes extirpare iisque obicem ponere, do-  
centes in Ecclesia, ut suo satisfaciant muneri, quibusvis  
mediis adigere, omnibus viribus laborare, ut genuina religi-  
onis principia atque fundamenta ignorantium animis insin-  
nuentur, ne pessimis in Ecclesia exemplis scandala exciten-  
tur, hostibus atque persecutoribus Ecclesiæ violentia quæ-  
vis audentibus resistere, eorumque conatus repellere. Aliis  
alia de meritis in Ecclesiam est opinio: illis enim de Ec-  
clesia bene mereri dicitur, si honores singulares Præfulibus  
exhibeantur, ii speciali potestate aut mundanis decoribus  
ornentur, divitiae, opes, territoria, provinciæ offerantur,  
potestas ecclesiastica omnis civilis imperii expers declaretur,  
hoc vero illi subiiciatur. Sunt, qui talia præstant, *charis-  
simi filii*, hi Ecclesiæ romanæ iudicio bene merentur de  
Ecclesia, digni, qui priorem occupent locum, ita ut omnes  
incensi præcedendi cupidine, ad eam inplendam nihil fa-  
ciant, quam ut alios numero beneficiorum in fedem Pontifi-  
ciam collocandorum vincant. En profusæ liberalita-  
tis præmium. Ast quis non subodorari poterit pontificiæ  
sedis arcanum, quæ *merita in Ecclesiam* iuxta posteriorem  
sensum examinare solet, quem reiecumus, & pro titulo o-  
mnino inhabili ad concedendam aliquam dignitatibus præro-  
gativam

gativam habemus. Nulla hic concludendi vis : *Magna gentis alicuius aut Principis humanitas atque benignitas in Romanam fuit Ecclesiam; ergo ipsi reliqui Principes aut Republicæ loco cedant.* Id non negamus, maiorem Romanæ Ecclesiae erga benefactores illos esse obligationem, atque grati animi declarandi studium, quod tamen ita declarandum est, ne tertii iura ländantur.

## §. XVI.

Forte non maius robur *tertio* erit argumento, quod ab insignibus atque titulis, quibus Princeps aut Respublica a summo Pontifice ornatur, deducunt. (ee) Iam superius monuimus, nullam nos agnoscere Ecclesiæ aut Pontificis autoritatem in novis dignitatibus introducendis; nullum quoque argumentum pro adstruendo quodam præcedentie iure ex his titulis, qui a sola sedis Pontificiæ impositione dependunt, derivare, & pro solido habere possumus prærogativæ testimonia. Nihil hi tituli inferunt præter singularem existimationem, quam Romani Præsules non commodiori ratione quam liberalitate, tam prompto ac minus caro pretio ex solvenda, testari voluerunt : quæ tamen eo pretiosior gentibus visa est, quo maior de similibus titulis excitari poterat præsumtio. Interim nullam videmus necessitatem, quomodo illi, qui non iisdem aut aliis elogiis condecorati fuerunt, se inferiores habere cogi potuerint, imprimis cum subsequentia tempora docuerint, genuinam horum titulorum significationem non ad quemvis illorum Possessorem ita applicari potuisse, ut is fuerit, qui appellari debuerit, cum potius eius mores a vero tituli, quem gerebat, sensu aberraverint, ita ut omnis elogii vis marcescere videretur.

## §. XVII.

Hæc de fundamentis Præcedentie concedendæ, quantum ex traditionibus curiæ romanæ repetuntur, dixisse sufficiat ; ex quibus forte clarum erit, pontificiam sedem, cum nulla polleat in Principes Christianos iurisdictione, haud com-

(ee) CANTELIUS Part. 2. diss. I, quæ cognomina Romani Pontifices alii dederint. p. 154.

competentem iudicem in illustribus Præcedentiarum controversiis agere : cæterum non inficiamur ea, quæ iam adduximus, argumenta multum facere posse ad augendam mollem librorum, qui de Præcedentiarum controversiis tractant, & ingenio sribentium optimam præbere occasionem excurrendi, ac eleganti eloquentiæ apparatu eorum contenta proponendi. Nobis impræsentiarum nihil magis curæ est, quam ut illa argumenta sine omni præconcepta opinione consideremus, neque multitudine neque autoritate contradicentium moveamur, imprimis cum gravissimum in hac doctrina deprehendamus inter scriptores dissensum, quibus nihil frequentius est, quam ea respuere atque rejicere, quæ aliis tanquam certissima decisionis principia laudantur. Ulteriorius pergimus, &, cum satis dictum fuerit, *quantum romani legibus & canonicis constitutionibus autoritatis in his controversiis sit tribuendum*, omni prorsus dubio caret, has quæstiones ex iurisprudentia Universali lucem atque decisionem petere. Hæc enim sola est, quæ actionibus liberarum gentium normam præbet, ad quam illæ sunt examinandæ. Hinc periculum faciamus, & quid de his controversiis ex principiis iuris universalis statuendum sit, videamus, certi, quod positis genuinis fundamentis, in ruinam pronæ sint omnes apparentes rationes, quæ plerumque magis ornate quam vere allegari solent.

## §. XIX.

Gens, quæ nullius Imperio obnoxia & ab omnibus pactis libera est, nullum superiorem, excepto DEo, agnoscit, nullam legem habet, quam quæ omnium hominum lex est universalis, & ad cuius observantiam omnes in hoc universo obligantur. Iste populus, ea res publica ita se erga alias res publicas atque gentes gerat, ut omnium læsionem evitet, & mutua humanitatis officia alteri genti & reipublicæ exhibeat, ac reciproca expectet. In hac plena libertate atque independentia gratulabitur sibi, quod quævis alia gens & res publica nihil ab illa postulare & exigere queat, quod ex generalibus humanitatis principiis urgere nequeat.

E

Inde

Inde videbit gentium a se non dependentium æquale ius, nullum alterius in alteram imperium legitimū; ipsi ea licita esse, quæ alteri licent, & ad quamcumque maiores felicitatem legitimo adspirare modo non esse nefas: eam habet maiestatem, quam omnes aliae res publicæ; cum libera sit, eiusque potestas a nemine, nisi a DEo, dependeat. Ex ea independentia & æquali iure fluit infallibilis conclusio: *natura omnes gentes esse liberas ac independentes, ita esse æquales, ut nulla ab altera aliquid exigere possit, quod alteri reciprocè prestat nolit.*

## §. XIX.

Igitur maiores honores alteri genti exhibere cogi non potest, quam ab ipsa accipit. Dices forte: est altera gens potentior, armis valida, imperium ipsi latissimum, fines amplissimi: tua angustioribus continetur terminis. Quid tum? neque tua gens potentiori est subiecta & imperio illius subest: imperet innumeris aliis populis, tua gens salva est & immunis ab illius dominio. Pergis: sunt vires potentiori tuam subiugandi gentem. Quæso, an iuste, an legitimate id fiet? neque iam subiecta est: bellum aœx simile est: non defunt exempla, regna & imperia mole sua destruta fuisse, minora crevisse, cum maximarum rerum publicarum initia fuerint tenuia; videndum, quis vincat, non obediendum, iugum subeundum ante cladem & captivitatem: forte non deerunt amici, qui alterius magnitudinem & alios devorandi libidinem ægre ferent: habebit gens minor amicos, fœderatos, potentior plures inimicos & hostes inventiet: interim consilii omnino est, ne temere offendatur potentior, tempori aliquando est cedendum, imo prudentia suadet, si potentioris iram atque vindictam evitare possis humanitatis & urbanitatis quadam testificatione, ne intempestiva morositate te graviori exponas periculo. Quid alii obiicient, divitias atque splendorem gentis, tuæ civitatis paupertatem atque simplicitatem? Sed contemnit rerum abundantiam, aut paucis contenta vivit. Nihil eam iuvant aliarum gentium divitiae, ex quibus nulla in te profluent be-

beneficia: forte illas acquirendi quoque non deerit occasio: sequatur exemplum ditioris gentis, quæ eam sibi felicitatem labore & virtute comparavit: aut si fortunæ & naturæ indulgentia acceperit, felicem æstimare licet: inde alteri nullum ius competit, tuam flocci aut minoris habendi gentem: imbecillitatis magnæ signum est, bonis, quæ natura dedit, superbire, aut, si virtute quæsita sunt, credere, aliis non eandem patere viam. Narrabunt alii præclara gentis facinora, producent maiorum imagines, canent maiorum bello paceque gesta: Tuæ genti obscura nomina, nulla aut tamen non augusta in orbe fama: Turbas excitant scriptorum, qui laudes & res gentis immortalibus monumentis prodiderunt. Quorsum hæc spectant? Videbis primam velle illam gentem inter homines esse, primum occupare locum, aliasque nationes sibi inferiores credere. Quid regeris? Virtutem in quavis gente colendam ac suscipiendam esse. Multum vanitatis atque ambitionis in gentium laudibus occurtere, & pro virtutibus aliquando jactitari, quæ vitiis gravioribus annumeranda sunt: æstimandos, qui virtutis elogio claruerunt, cuiuscunque gentis cives fuerint: illos autem gentem minime integrum nobilitasse, ut ea prærogativam atque præcedentiam præ aliis iure ambire queat: forte & Tuæ genti non deerunt illustria nomina. Prodeunt alii, qui *insignia* atque *titulorum* plaufra producunt, quibus eorum patria ornatur; quiue sibi imaginantur, ex his titulis tantum conciliari splendoris, ut gentes iisdem elogiis non ornatae pro inferioribus habendæ sint. Sed si quæras, unde ea insignia illosque acceperint titulos, videbis, hæc ornamenta vel ab iis petita, qvorum olim credebatur esse similia iura concedere, vel proprio motu assumpta: quid impedit, quo minus Tua Respublica, si ipsie re sua esse visum fuerit, eadem utatur libertate? quid si alii proprio ausu assumptos titulos denegare voluerint? liberum erit hanc in illos retorquere iniuriam; cum enim tua gens nulla necessitate attalia lege obligata aliarum gentium atque populorum insignia atque titulos agnoverit,

eandem humanitatem sibi ab aliis gentibus pollicebitur, quæ si denegata fuerit, retorsionis privilegio uti poterit. Quid tandem ad illorum obiectiones respondendum, qui primarium prærogativæ fundamentum in *antiquitate regni aut reipublicæ* querunt? neque illud solidum derivandæ præcedentiæ argumentum esse fatemur. Non enim solum demonstratio antiquitatis apud plerasque gentes res est obscura multisque dubiis involuta: verum etiam, si illa doceri possit, nullum tamen præcedendi ius tribuere potest, cum ex temporis diuturnitate nulla in reliquias respellas accrescat eminentia: nullo enim tempore maius aliquod ius in alias civitates independentes accedit, nullus nascitur titulus, cur in recentioribus rebus publicis prærogativam aliquam exigere possit, quæ sua principia & natales nulla ratione ab antiquo-ri civitate repetunt.

## §. XX.

Hæc quasi in compendio dicta sufficiant: non obscura forte erit nostra sententia, quam præcedenti §. XIX. exposuimus: nullam rempublicam præ altera exigere posse singulares honores, licet provocet 1) ad maiorem potentiam, 2) ad dvitias, 3) ad virtutes & merita gentis, 4) ad multitudinem & excellentiam ticulorum, 5) ad antiquitatem: quibus tamen argumentis plurumque uti solent, qui de præcedentiis scripserunt, (ff) additis aliis, quæ tamen ad dicta capita redigi possunt, hinc a nobis silentio prætermissa sunt, cum nimis prolixum fuisset, omnes excutere oratorios flosculos, quibus alii atque alii rerumpublicarum ac Principum prærogativas extollunt: Una tamen hic attingenda nobis videtur quæstio: *an ex forma reipublicæ fundamentum aliquod ad precedentiam adserendum aut denegandam defumi posse?* Ita nonnullis videtur: proinde Respublicas regnis ex iuris quadam necessitate cedere nonnulli afferunt: alii regnum successivum elecitio anteponunt & vice versa. De rebus publicis, *an regnis præferendæ aut pares æstimandæ sint*, differit PUFENDORFFIUS (gg) in hunc modum

(ff) DN: LUNIG: in Theatro Cerem. Tom. I. p. 9.

(gg) SAM. PUFENDORF in dissertat. de Existimatione.

modum: Ex hisce omnibus satis firmiter videtur concludi, ex obligatione perfecta, quæ in altero ius proprio dictum presupponit, Regem revera talem non teneri loco cedere alteri Regi tanquam digniori, ut ut hic conditionibus iam enumeratis præpolleat; neque civitatem liberam alteri civitati liberae, licet antiquiori aut potentiori. Quia nec civitas popularis in se videtur dignitate inferior civitate monarchica, quamvis in civitate democratica nemo unus reperiatur, qui cum Rege comparari posfit. Unde nec civitatis liberae legatus necessario legato Regis loco cedere tenebitur. Exdem rationes ad alteram quoque quadrant questionem: non in id consentimus, æqualia liberaum gentium esse iura, non videmus, cur aliqua differentia consistuenda sit inter Principatus, qui successione transmituntur, vel electione conferuntur. Gentis enim cuiusvis libero arbitrio reliquum esse credimus, quam rationem regiminis sibi maxime conducere credit, hinc enim eadem semper manet maiestas, eadem ab extraneis independentia, & ita illæsa quoque intuitu aliarum gentium æqualitas, nihil intererit, quid domi gens agat, & qua ratione suam ordinaverit rempublicam.

## §. XXI.

Ita ex generalibus iurisprudentiæ universalis principiis differuimus, quæ cum nonnullis a praxi atque experientia aliena videbuntur, iam illis quoque satis faciendum erit. Plurima enim in promptu sunt exempla, præcedentiam inter liberas gentes fuisse observatam, quod etiam testantur innumeræ præcedentiarum lites, quæ moveri non potuissent, nisi ius aliquod præcedendi inter liberas gentes introductum fuisset: quamvis hoc nostro ævo hæ lites quodammodo refrigescere incipient, & in primis in negotiis maioris momenti illustres personæ ab his contentionibus abstrahere soleant, cuius exemplum in novissimis Traiectensibus tractatibus vidimus; (bb) Imo certum sit, has lites amicitiæ atque concordiæ inter gentes conservandæ magno detrimento & impedimento esse. Certum itaque est, iure originario nullam gentem alteri debere præcedentiam, illam vero

(bb) Lettres historiques & galantes Tom. VI. p. 143.

QK  
 TTK  
 5112

vero, quam hodie observari attendimus, ex solo usu atque longæva possessione originem traxisse, ad illam autem obtinendam non parum contulisse rationes, quas superioribus §. §. examinavimus, quæ tanquam causa sua foris considerari possunt, ex quibus, gens ut genti cedat, commota forte fuit. Potuerunt igitur gentes a prima institutione atque libertate recedere, potuit uni aut alteri prærogativa concedi, non quidem necessitate, legis aut iuris, sed libera voluntate ac concesione: quæ enim, solo factio atque potentia aut ex humanitate descendit & inducta est prærogativa, nullam producere potuit obligationem & aliquod ius in alium transferre: hinc de isto præcedentiarum genere nobis hic sermo non est. Res igitur evenisse hunc in modum nobis videtur: inceperunt gentes aliquem in suis conventibus constituere ordinem, ni fallimur, concilia primam præbuere in orbe Christiano occasionem: Approbarunt eum sessionis & præcedentiaz ordinem, ultro se submiserunt, eodem quoque in aliis conventibus usæ: adest hic consensus, & adfuit aliquando expressus, aliquando tacitus, si alteri sine controversia prior datus fuerit locus. Inde ius ipsi quæsitum & ex hoc Consensu præcedendi facultas derivata fuit: quæ cum semel agnita, ii, qui sponte cesserant, iam non resilire & antiquum ordinem infringere poterant. Hæcque est ratio, cur in controversiis præcedentiarum ad usum atque observantiam provocetur, imo exempla plus valeant quam rationes, quarum infirmitatem superius demonstravimus. Sane si quod est præcedentiaz fundamentum, illud est, quod in consensu gentium quærendum nobis videtur, cum aliud, quod perfecte obliget, nesciamus, salvo tamen rectius sentientium iudicio, quibus nostras non obtrudimus opiniones, sed informationem melioremque doctrinam expectamus.



Pon TK 5112, 1 QK

ULB Halle  
003 881 385


3



(F)



B.I.G.



M. II. 17. 1818.  
29. 17. II k  
5112

DISSERTATIO IVRIS PVBLIC<sup>I</sup>  
DE FVNDAMENTO  
DECIDENDI CONTROVERSIAS  
DE PRÆCEDENTIA  
INTER  
LIBERAS GENTES,  
QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
CONSENSV  
PRÆSIDE  
D. CHRISTIANO GODOFREDO  
HOFFMANNO,  
PROF. DE VERBOR. SIGNIFICAT. AC REGVLIS  
IVRIS ORD.  
AD D. XVI. MAII MDCCXXI.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT  
AVTOR ET RESPONDENS  
D. CAROLVS GVILIELM. GÆRTNER,  
DRES.D.  
LIPSIAE,  
LITTERIS SCHEDIANIS.